

duo textus. Et statim eat qui regalem feret gladium et alii comites cum aliis gladiis et precedat eos qui feret scutum et lanceam, et postea archiepiscopus qui missam cantabit et episcopi et abbates qui supersunt cum processione. Et duo archiepiscopi sint cum rege unus a dextris et alter^a a sinistris et duo vel tres archiepiscopi sive episcopi post regem pro custodiendo eo. Hoc ordine eant usque ad hostium chori et ibi remaneat qui feret scutum et lanceam, et processio eat usque ad gradus altaris et ibi oret rex. Finita oracione eius archiepiscopus qui cantabit^b missam dicat: Kyrie leyson. Christe leyson. Kyrie leyson. Pater noster. Et ne nos. Vers. Domine salvum fac. Et exaudi^c. Vers. Esto ei domine. A facie. Vers. Domine exaudi^d. Et clamor^e. Dominus vobiscum^f. Oracio: Deus qui miro — placere prevaleat. Per.

Dicta oracione qui^g feret^h sanctam crucem, ponatⁱ eam super altare nec eam inde removeat, donec missa sit cantata, et eo ordine quo processerunt^k redeuntes ducant regem ad thronum preter archiepiscopum, qui cantabit missam. Deinde dux, princeps, comites, magnates osculentur pedes regis, archiepiscopi et episcopi redeant cum eo.

Missa.

Oracio: Omnipotens sempiterne Deus celestium terrestriumque moderator, qui famulum tuum regem nostrum N. ad regni fastigium dignatus es provehere, concede quesumus, ut a cunctis adversitatibus liberatus et ecclesiastice pacis dono muniatur et eterne pacis gaudia te donante pervenire mereatur. Per¹.

Secreta: Concede quesumus omnipotens Deus his salutaribus sacrificiis placatus, ut famulus tuus rex noster N. ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur semper idoneus et celesti patrie reddatur acceptus. Per.²

Post comm.¹: Hec domine salutaris sacrificii perceptio famuli tui regis nostri N. peccatorum maculas diluat et ad regendum secundum voluntatem tuam populum idoneum eum reddat, ut^m hoc salutari misterio contra visibiles et invisibiles hostes victor existat, per quod mundus est divina dispensacione redemptus. Per³.

a) 'alt' Hs. b) 'can' Hs. c) 'ex' Hs. d) 'exau' Hs.
e) 'clā' Hs. f) 'vob' Hs. g) 'que' Hs. h) 'fer' Hs. i) 'pon' Hs.
k) 'processer' Hs. l) 'com' Hs. m) 'et' Hs.